


Y d  
5854





N. 117, 41.

Yd  
5854

I. N. 7.  
HISTORIA  
LECTIONVM  
ILL. GYMNASII  
SCHLEVSINGENSIS,

h. e.

*Recensio Lectionum Publicarum,*  
quae ab ortu Gymnasii, Anno  
nempe M D LXXVII. vsque ad hoc  
tempus,

in *Classibus* imprimis *tribus superioribus*, re-  
ceptae fuerunt & propositae,

ex MATRICVLA Gymnasii  
sic instituta,

ut, quo *speciatim* anno tractari coeperint singulae,  
desierintque nonnullae, & quae etiamnum locum  
obtineant,

possit perspicui,

& certis de causis in apertum prolata

4

M. GODOFREDO LVDOVICO

RECTORE.

A. M DCCVI.

*Schleusingae,*

exscripsit G. W. Goebel, Ill. Gymnasii Typo-  
graphus,



TRIVM  
CLASSIVM SVPERIORVM  
in  
LL. GYMNASIO SCHLEVSIN-  
GENSI

*Auditoribus & Alumnis*  
S.

*Pen Yd 5854, Q1/2*



## PRÆFATIO.

per

*Puncta quaedam.*

I.

**G**YMNASIVM Saxo-Hennebergicum *per-*  
*antiquum*, in sine Monumentum pie-  
tatis *postremi Principis Hennebergiae*, CEL-  
SISSIMI DN. GEORGII ERNESTI, ortum ha-  
buit A. MDLXXVII. apposito eidem Recto-  
re M. Wolfgango Mollero, d. 21. Iun. a e., &  
Lectioibus sic ordinatis, vt iisdem instituti  
Adolescentes ad Vniuersalium Scholarum  
Doctores ab eo tempore rite potuerint conce-  
dere.

II. Ab eo etiam tempore in *Matricula*, quam  
vocant, non Auditores solùm & Discipuli Claf-  
sium singularum annotati sunt; sed & lectio-  
nes visum est significare, ex quibus plurimùm  
profecerunt Adolescentes, & tot euaserunt  
eruditi Viri,

III. Dignam profecto iudicavi hanc com-  
memorationem, quae foràs proferretur, istam

A 2

spe-

speciatim ob causam, quod sic de vetere Gymnasii rerum statu & nostra conditione quilibet rite possit iudicare, sitque integrum, ordinem suspicere antiquum, continuatam in amplificando Iuuenum profectu curam, & quae in hodiernum usque diem impenditur, operam.

IV. Iungi tandem poterit haec commemoratio cum *Memorabilibus Gymnasii nostratis Episcopalibus* (der Schleusingschen Bischoffs-Historie) quadriennio abhinc in lucem publicam protractis; cum *recensione illa Professorum in Academiis*, sed antehac *Alumnorum Schleusingenfium: cum programme XXXV.* in fortunam Ill. Gymnasii Schleusingenfis a ix. Iun. M DC XCVI. vsque ad ix. Iun. M DCCII. Ad quae propediem accedet *Programma* in fortunam Gymnasii a ix. Iun. M DCCII vsque ad ix. Iun. A. MDCCVI, quoniam, ubi Deus vsque ad illud tempus vitam largitus fuerit & valetudinem bonam, tum *decennis* Gymnasii Schleusingenfis ero Magister, & omnino, secundum effatum *Lutheri*, in Rectoratu MARTYR.

I, N, I.

LECTIONES CLASSIS  
PRIMAE

I. LECTIO THEOLOGICA, eademque  
DN. EPHORI.

**C**oeperit haec, ut MATRICVLA  
testatur, A. 1578, & nominatim  
M. JACOBVS FOMANN, In-  
spector, ab A. 1578. vsque ad an-  
num 1589, praelegit Symbola,  
Nicenum, Athanasianum, & Apostolicum,  
M. ANDREAS FVLDA, ab A. 1589 - A. 1595.  
instituit XII. Prophetarum Minorum Le-  
ctionem, annotatis in singula Capita argu-  
mentis & expositis doctrinis, vna cum vo-  
cabulorum difficiliorum & phrasium inter-  
pretatione, IOACHIMVS ZEHNERVS,  
A. 1596. Catechismi Graeci praeceptum  
primum tradidit, tum in explicandis Ada-  
giis sacris versatus est ab A. 1596 - A. 1600.  
(*vid. praefatio, Zehnerianis Adagiis, Lipsiae A. 1601.  
excusis, praefixa.*) ab A. 1601 - A. 1604. in Simili-  
tudinibus Sacris, quae pariter Lipsiae prod-  
ierunt, A. 1604. proponere coepit Com-  
pendium suum Theologicum, Lipsiae A.  
1609. excusum, addiditque Loco de Coniu-  
gio perspicuam Arboris Consanguinitatis  
& Affinitatis explicationem, editam dein-  
ceps Schleusingae A. 1609: porro A. 1608.  
Epistolam explicauit Amphiloehii ad Se-  
leu-

leucum & Sententias e Patribus collectas, A. 1609. Libellum Epiphanii de vitis Prophetarum, & A. 1610. in sententiis insignioribus DD. Patrum colligendis occupatus fuit: Mortuo ZEHNERO A. 1613. M. WOLFGANGVS SEBERVS laborem Zehnerianum in sententias DD. Patrum continuauit, suamque Catenam Patrum in Psalterium A. 1615. pertexuit (*vid. Psalmorum poenitentialium a Sebero expositorum, & editorum A. 1629. praefatio*) A. vero 1624. alternis vicibus Breuiarium Scripturae Synchronisticum, seu Chronicon Biblicum, & Hortulum Biblicum proposuit: D. SAMVEL ZEHNERVS Locos Theologicos ab Anno 1632--A. 1635. enodauit, quod ipsum fecit etiam M. HIERONYMVS PRAETORIVS, A. 1637. Easdem lectiones tractandas sibi procul dubio sumserunt Successores in *Ephoria* vsque ad annum 1662, cum Lectio *Ephori* Theologica ab A. 1637--A. 1662. solum in Matricula nominetur, notatis tamen interdum Locis, qui explicati fuerunt, Theologicis: hoc vero postremo allegato A. 1662. Dicta Classica Scripturae Ebraeo-Graeca iuxta Compendii Hutteriani Loca Lectio esse coeperunt *Dn. Ephori*, suntque hodierno adhuc die.

II. LECTIO THEOLOGICA *Rectoris*.  
*Rector* tractauit Compendium Theologiae Hutterianum ab A. 1662. Ante vero, & a Gymnasio condito, sequens Lectio huius Theo-



Theologicae conditio fuit. Examen Philippi adhibitum legitur A. 1577, in cuius locum A. 1594. successit Augustana Confessio, huic A. 1608. successit Compendium Theologiae Zehnerianum, Zehneriano Hutterianum A. 1617. Hutteriano iterum Zehnerianum A. 1632, cum quo iunctus est Hortulus Biblicus Seberi, postremum inter Lectiones relatus A. 1651. Introductionem in Libros Symbolicos Compendio addidit *Rector* ab A. 1653. ad Annum vsque 1666, cum quadriennio ante, A. 1662, vice Compendii Zehneriani receptum denuo fuisset Hutterianum cum Scholiis Glassii, Caeterum adhuc dum quotidie ex Hortulo Biblico Seberi Aphorismus post preces legitur.

III. DICTA SCRIPTURAE CLASSICA GRAECO-HEBRAEA secundum Locos Theologicos, quae pariter ab A. 1653. a *Rectore* Lectioni Compendii leguntur addita, indidemque suscepta est praxis Horologii Hebr. Schickardiani ab A. 1655. At *Dn. Ephori* Lectio uti A. 1662. illa esse inceperint, dictum modo fuit in *Eius* Lectione Theologica.

IV. PSALTERIVM.

1. *Latinum.* Ad recitandum nempe uniuersae Auditorum attributus legitur Psalmus A. 1586. & A. 1593. quae vero recitatio iam A. 1599. desitit postulari.

2. *Hebraicum.*

*Psalmi Hebraici*, qui lectionis vicem adhuc

A 4

im-

## § HISTORIA LECTIONVM ILL. GYMNA-

implent, placuerunt A. 1579. & ex his maxime Psalmi Graduum, expositi primum, post recitati, Anno adhuc 1598. Additi etiam his sunt nonnulli Apollinarii Graeci A. 1595. Analyfis Rhetorica & explicatio Theologica iuncta fuit A. 1610. Et quanquam A. 1620. loco Psalmi adhibitum fuerit Caput 1. Geneseos Hebraice, anno tamen post eadem haec lectio desit, & Psalmi denuo coeperunt explicari, & quidem die Veneris. Nam diebus Dominicis, quibus quondam Analyfis est suscepta, nunc ad pietatem excitandam tractantur Euangelia & Epistolae Graecae.

## V. NOVVM TESTAMENTVM GRAECVM.

Ex Nouo Testamento Gr. Acta Apostolica A. 1632. incipiebantur, Matthaeus A. 1636, & Marcus A. 1638. iterumque Acta A. 1641, nec non A. 1653. cum biennio amplius Lectio N. T. fuisset intermissa. Actis his, aliquoties explicatis, vt adderentur Epistolae Paulinae, Visitatio iniunxit A. 1687. habita, coepitque, absolutis Actis, tradi Epistola ad Romanos A. 1689, quam caeterae deinceps exceperunt.

## VI. CATECHESIS.

1. *Graeca* Claii notatur A. 1577. Nuda ex eadem Capita A. 1578. Repetitio Catecheseos Graecae A. 1580. Quotidie recitatum est ex Catechesi Graeca Caput A. 1593., alternatim Latine & Germanice A. 1596. Extat

ca-

eadem Catecheseos Graecae repetitio A. 1655. & seqq. vsque ad Annum 1666. Hodie vero, singulis diebus Sabbati, precibus Capituli cuiusdam repetitio ex Catechesi Graeca iungi solet.

2. *Latinae* repetitio A. 1577. offenditur.

3. *Germanica* A. 1584. Lectionibus accensetur.

### VII. SYMBOLA.

Speciatim Symbola Nicenum & Athanasianum inter Lectiones ponuntur A. 1578. Recitata ista sunt A. 1592. iuxta cum Apostolico A. 1593. Diebus Veneris Symbolum Nicenum recitatum est, & diebus Saturni Athanasianum, Graece & Latine A. 1593. alternatim a Primariis Graece, a Secundariis Latine A. 1595, & ab Anno denique 1599. notari desit haec Symbolorum Lectio.

### VIII. INSTITVTIONES IVRIS.

Has ab A. 1583. vsque ad A. 1589. publice praelegit *Rektor Gymnasii primus, M. Wolfgangus Mollerus*, vt praeter Matriculam testatur *B. Reyherus* in *Palaeomathia* §. 139.

IX. LECTIO PHILOSOPHICA, qua de cùm ex Matricula toties allegata, tum ex dedicatione Margaritae Philosophicae a *B. Reybero* A. 1635. scriptae ita constat: Obtinuit mox a Gymnasii fundatione Lectio Ethica ex Aristotelis Libris ad Nicomachum, cui vero *Andreas Reyherus*, Rector, ab A. 1633. vsq; ad A. 1640. Philosophiae substituit Synopsin, hanc intra annum spatium absol-

A 5

vens,

vens, & semicirculo quidem hyberno Philosophiam Practicam integram, ex Mathematicis Sphaericam, Theoricam, Astrologiam, Computum, Musicam & Opticam; semicirculo vero aestiuo Metaphysicam, Pneumaticam, Physicam, & ex Mathematicis Arithmeticam, Geometriam, Geodaesiam, Geographiam, Stathmicam & Architectonicam. A. 1641, cum anno superiore *Reyberus* abiisset, Ethica illa Lectio recepta fuit & proposita vsque ad A. 1662, Tandem A. 1687. in Philosophicam Lectionem ordinatae sunt Tabellae Stirii, ex quibus *B. Anticessorem meum* explicuisse deprehendo Physicam, Ethicam & Methaphysicam; & vi Decretorum Visitationis novissimae A. 1699. ex Margarita *Reyberi* Philosophica Rudimenta Philosophiae & Matheos traduntur hodie.

#### X. LECTIO PHYSICA ET MEDICA

*Professoris Medici,*

In Matricula ad A. 1589. haec leguntur verba: *In Examine verno in hanc Scholam introducti coepit Lectio Physica, quae fuit Oratione publica, habita a Reuerendo Dn. Thoma Schallero, commendata Clarissimo Viro, Dn. Caspary Amborrio, Philos. & Med. Doct. d. 30. April. ej. anni; & ab eo tempore vsque ad annum 1632. alternis vicibus Physicam Philippi & Libellum de anima exposuit Professor. Physica dilatior tradita est A. 1633. Lectio Anthropologica & Synopsis Medicinae legitur A. 1634.*

&

& seqq. & A. 1639. notari desiit Lectio haec *Professoris Medici*. Reperitur denuo Lectio *Prof. Medici* A. 1653. & A. 1656. Epitome eius *Physica* inter *Lectiones* numeratur. In *Examine* a. *Vernali* A. 1662. postremum inter *Lectiones* illam *Medici* video occurrere.

### XI. DISPUTATIONES.

Viguisse *Schleusingae* in *Gymnasio* *Dispp. Theologicas, Iuridicas, Medicas, Philosophicas & Rhetoricas*, ex *Gymnasii* iterum *Matriculæ* constat & *B. Reyberi* *Palæomathia*. Inter *Lectiones* sane per bene longum tempus poni deprehendo *Disputationes*, & recitari *Ephorum* in *Theologiam* & *A.C.*, *Iuridicam* (forte *Reſtoris*) de haereditatibus, quae ab intestato deferuntur, *Professorum Medicorum* *Physicas & Medicas*. Vniuersam *Philosophiam* *Reyherus* A. 1633. & seqq. disputando absoluit, vnde *Margarita* ipsi enata est *Philosophica*. Prostant plagulae *Intimatoriae* aliquandiu sub cuiusvis anni auspiciis publicatae, *Disputationum* *habitarum* *Indices*. Nec *Respondentium* munere functi solum sunt *Alumni*, sed & *Pastores* & *Ministerii Candidati* in *Ephorum* *Disputationibus*; *Rectore* *Reybero* *Praefide*, in *Gymnasio* respondit *Matthaeus Eifentrath*, *Ludi Ilmenoitani Moderator*, & *Rudolphus Fredericus Marschallus* ab *Zerningöſſerſtadt* / *Nob. Misnicus, Phil. & Iuris Studiosus*. In praesentiarum, quia animus mihi quoque est, *DEO* iuuante, *historiam* dare *Disputationum Schleusingensium*, notasse succerit,

rit, *Auspiciis Serenissimis* publicas instituere *Disputationes* denuo suscepisse *Dn. Sonntagium, Gymnasii Ephorum*, cuius vestigia studiosissime pressit haecenus *Dn. D. Meisius*, & ab A. 1697. *Reſtoris & Con-R.* publicas *Disputationes*, *Indultu* pariter *Clementissimo*, nouum locum fortitas esse in *Gymnasii Lctionibus*.

#### XII. DECLAMATIONES.

Quas quia inter *Lctiones publicas* ab ortu statim *Gymnasii* positas reperio, heic annoto pariter, istasque *publico-priuatas* semper fuisse, ex *Matricula* perinde cognoscitur ac *programme* meo XXXV. A. 1701. edito.

#### XIII. EXERCITIA.

In *Classe prima* etiamnum elaborantur *Exercitia Latina Prosaica & Metrica, Graeca Prosaica & Metrica, & Ebraea Prosaica Metricaque*. Illa iam obtinuerunt A. 1577, *Ista* eodem Anno, *Hac* vero A. 1633, coeperunt exhiberi.

#### XIV. LOGICA.

Adhibere placuit nominatim *Dialecticam Philippi* iam A. 1577, eandemque editam per *Lossium*, A. 1610, *Logicam Horneji*, A. 1651. *Logicam Rhenii* ab A. 1667. *Logicam Bechmanni* ab A. 1687. *Ego* ab A. 1699. quas ex *Decreto Visitationis*, tunc temporis habitae, concinnaui *Tabulas Logicas*, trado nunc & explico.

#### XV. RHETORICA.

*Philippi Rhetorica* A. 1577. adhibita legitur, & ab A. 1651. *Aristotelis Rhetorica*; *Vsus Rhetoricae in Orationibus & Officiis Ciceronis*

ronis monstratus fuit ab A. 1653-1662: Col-  
latio instituta est cum Oratoria Dieterici A.  
1656. : Denique ab A. 1662. Institutiones  
Dieterici Rhetoricae in prima, Oratoriae  
in secunda A. 1667. coeperunt proponi, &  
nostro adhuc tempore vtraeque locum ha-  
bent.

#### XVI. SPHAERICA.

Sphaerica cum Lectionibus iuncta est A.  
1662. & explicata primùm ex Blebelio, pòst  
ab A. 1687. ex Stirii Tabulis; a *Visitatione* ve-  
ro iterum iterumque dicta A. 1699, instar  
caeterarum disciplinarum Mathematica-  
rum, *Sphaerica* ex *Reyberi Margarita* traditur.

#### XVII. ARITHMETICA.

Arithmetica quoque in *Classe* Gymnasii *pri-  
ma* tractatur, adhibitis Praeceptis Arithme-  
ticis *Reyberi* Germ. ab A. 1653, cum ante &  
speciatim A. 1579. *seqq.* explicatus fuisset  
*Piscator*, circa A. 1610. *seqq.* *Lossius*.

#### XVIII. MUSICA.

Vti etiamnum Musicam in *Classe prima*  
exercet *Cantor*, ita praecepta insuper expli-  
cata fuisse deprehendo, ex Musica quidem  
*Lysbeni* primùm, quae A. 1579. jam allega-  
tur, & A. 1601. adhuc Lectio fuit, pòst du-  
bio procul ex Epitome Musices *Reyberi*, quia  
pro Tironibus A. 1635. typis publicis exscri-  
pta fuit eadem.

#### XIX. LECTIO HISTORICA.

Tardius paullo, Anno nempe 1653, Historia  
publice explicari coepit, eademque ex *Slei-  
da-*

dano, ab isto tempore vsque ad A. 1699. Tunc Idea Historiae Vniuersalis a Bunone Germanice edita Auspicijs V. sitatorius surrogata est in locum Sleidani de IV. S. Imperiis. Nec vero Geographiam Historicam & Genealogiae fundamenta, Lectionem item Nouellarum posthaberi, alibi ostendetur.

## XX. LECTIO GRAMMATICA

1.) *Hebraea.* Auenarii Compendium Hebraeae Grammaticae, cui iunctum identidem fuit Lexicon Latino-Hebraeum, ab A. 1577. vsque ad A. 1633. praecepta suppeditauit. Eadem suggestit Horologium Schickardi ab A. 1633. hodieque suggerit: & *praxis Grammaticae* veluti olim in Psalmis Hebraicis & Dictis Classicis V. T. suscepta est, ita adhuc in dictis Psalmis Hebr. solet demonstrari.

2.) *Graeca.* Grammaticam Graecam Philippi, ipso A. 1577 adhibitam, & denuo receptam tamen, vtut interdum aliae in eius locum successerint Lectiones, verbi gratia, Oratio quaedam Ciceronis & Cyclops Euripidea, excepit Grammatica *Golii*, & *Golianam Reyberiana* A. 1633. typis primùm excipita. Etiam *Syntaxis* Graeca addi suenit, vti *Posselii*, quae legitur A. 1601. seqq. & *Golii* A. 1632. Publice autem in Classe prima per peculiarem Lectionem Praecepta Grammaticae Graecae desierunt explicari A. 1653.

3.) *Latina.*

Et in Classe prima Grammatica Latina pro-

po-



posita fuit ab ortu Gymnasii vsque ad Annum 1653. *Philippi* primùm iuxta cum *Linaero*, pòst vero & sub initium seculi superioris *Zehneri*, vna cum *Epitome Zehneri Linaeriana*.

### XXI. LECTIO POETAE GRAECI.

In *Homeri* vicem, qui iam A. 1577. locum habuerat inter Lectiones, & vnde Phrasologiam suam *Homericam Sorgerus* publice tradidit, A. 1617. successit *Hesiodus* A. 1699.

### XXII. LECTIO CICERONIS.

Explicata equidem est interdum Oratio *Ciceronis* quaedam, alternis etiam Officia *Ciceronis* & Orationes Lectionis fuerunt loco; stabilis autem Lectio & quae adhuc dum durat, Officia *Ciceronis* coeperunt esse A. 1662. & selectiores Orationes A. 1687. Epistolae ad Familiares a Gymnasii ortu ad praesens vsque tempus dignae visae sunt, quae publice explicarentur.

### XXIII. LECTIO POETARVM LATINORVM.

Ex *Virgilio*, qui pariter iam A. 1577. inter Lectiones notatur, *Aeneis* v. g. tradita est illo ipso anno, *Georgica* A. 1614, *Eclogae* A. 1666. e. s. p. Ex *Ouidio*, qui vtrisque Classibus, *Primae* & *Secundae*, A. 1623, & sequentibus quibusdam, pòst soli iterum *Secundae* expositus est, & iunctim denuo ab A. 1653. exponitur, *Libri* v. g. de *Ponto* incipiebantur A. 1629, *Libri Fastorum* A. 1666, *Libri Tristium*

ftium A. 1684, qui absoluti incipiebantur denuo. Ex speciali Visitationis Decreto anni 1699. praeter Libros Triftium nunc etiam Libri de Ponto enucleantur.

## XXIV. LECTIO PLVTARCHI GRAECA.

Hic ab A. 1662. vsque ad A. 1687. obseruatus est ordo, vt alternis ternae Orationes *Ifocratis* & *Plutarchus* π. π. α. exponerentur, siquidem v.g. A. 1662. incepta est *Ifocratis* Oratio ad Demonicum, A. 1665. illa ad Nicoclem, *Plutarchus* traditus est A. 1669. & *Nicocles* A. 1680. Ante, & ab initio Gymnafii, *Plutarchi* Institutionem & easdem illas *Ifocratis* Orationes explicatas fuisse deprehendo, ita tamen, vt alii interdum Auctores substituti fuerint. Nam praeter Orationes semel iterumque dictas tradebantur ex *Ifocrate* Oratio de Pace, A. 1585, Panegyricus, A. 1586. Areopagiticus, A. 1589, Oratio ad Regem Philippum A. 1590. Oratio de Bigis A. 1598. Epistolae A. 1602. Exponebatur *Demosthenis* Oratio prima Olynthiaca A. 1603. Ei. Olynthiaca secunda A. 1605. *Plutarchus* de audiendis Poetis A. 1610. Oratio ex *Chrysoftomo* A. 1616. *Hercules Prodi* A. 1617. *Agapetus*, A. 1618. & A. 1619. Epistola *Basilii M.* ad *Macarium* A. 1630. *Luciani* *Cupido* A. 1661. Hodie & ab A. 1687. *Plutarchi* libellus π. π. α. explicatur cum tritis *Ifocratis* Orationibus.

XXV. TERENTIUS, ETYMOLOGICON  
GRAECVM & LVBINI CLAVIS, locum  
inter Gymnafii Lectiones non habent ho-  
die.

TERENTIUS enim, cum ab Anno vsque  
1579. in Classe prima Lectio fuisset, praele-  
gi defuitus est A. 1687. fuffectis Orationibus  
Ciceronis felectis. Terentio prifcis tempo-  
ribus additae sunt Comoediae aliae, modò  
Plauti, quae ipfae diebus praefertim Cani-  
cularibus placuerunt, modò Frifchlini. Quin  
ex Terentio, Plauto & Frifchlino olim fere quot-  
annis Comoediae binae, altera post Exa-  
men Vernum, altera finito Examine Autu-  
mnali, in Theatro publicè productae sunt  
actaeque, eum fortassis in finem publice  
priùs enodatae.

NONNVS A. 1593. expofitus est & Anno  
iterum 1635.

ETYMOLOGICVM GRAECVM ab A. 1622.  
vsque ad A. 1632. fuevit adhiberi.

LVBINI CLAVIS Gr. Linguae, edita  
Schleusingae A. 1634., in primam Clafsem re-  
cepta fuit A. 1637. & remota eodem anno.

XXVI. COMOEDIAE.

Ad Lectiones Publicas referri Comoedias,  
tanto minus mirandum est, quanto lucu-  
lentius ex Matrícula apparet, ordinarias fe-  
re fuiffe, dum fingulis annis binae, vt modo  
dixi, productae sunt ex Terentio, Plauto &  
Frifchlino. Attexebantur nonnunquam Ger-  
manicae, A. 1616. Fabella Capnionis de Han-  
none, A. 1617. Germanica de Christophoro  
Slun

Slunzero, A. 1620. , noua de Vincentio Ladislao Satrapa, A. 1624. Phasma Frischlini Teutonicè versum, A. 1625. illa de Ioanne Franco, oder Meister Secken/ A. 1630. Comœdiâ Germ. de Iosepho. Verum enim vero tetigisse has suffecerit, quia peculiari schediasmate *Comœdias Schleusingenses* (ego met per hos decem annos *complures* in Theatrum Gymnassii produxi) animo meditor enarrare.

## LECTIONES CLASSIS SECUNDÆ.

**Q**uas *Secundani* cum *Primanis* iuncti olim audiuerunt *Lectiones*, vel etiam nunc audiunt, sunt sequentes:

- I. LECTIO THEOLOGICA DN, EPHORII.
  - II. LECTIO THEOLOGICA RECTORIS.
  - III. DICTA SCRIPTVRAE CLASSICAE EBRAEO-GRAECA a RECTORE quondam explicata.
  - IV. PSALTERIVM LATINO-EBRAICVM.
  - V. NOVVM TESTAMENTVM GRAECVM.
  - VI. CATECHESIS.
  - VII. SYMBOLA.
  - VIII. DISPUTATIONES.
  - IX. DECLAMATIONES PVBLICAE.
- X. RHE-

X. RHETORICA.

XI. ARITHMETICA.

XII. MVSICA.

XIII. LECTIO GRAMMATICA HE-  
BRAEO-GRAECO-LATINA.XIV. ORATIONES & EPISTOLAE CI-  
CERONIS.

XV. OVIDIVS.

XVI. LECTIO PLVTARCHI.

XVII. TERENTIVS.

XIX. COMOEDIAE.

Vnde *Scholia*, aliquantò ante in lectiones has elaborata, a capite nunc arcessi opus non est, poteruntque *residuae Animaduersiones*, ad *Secundam* speciatim & *Lectiones illius* quae pertinent, ita breuiter teneri:

1.) Quaedam *Psalmodum Hebraeorum A-* nalyfis in *Secunda* jam fieri coepit *A. 1634.* eademque continuata inuenitur *A. 1651. sqq.* Diebus autem Solis ante Cultum diuinum institutam *Psalmi Hebr. analyfin*, ab *A. sane 1653.*, ita *A. 1699.* immutare placuit, vt pra- xim nunc quidem iuxta ac Praecepta Gram- matices audiant die *Veneris Secundani* cum *Primani*, soli verò die *Dominica* ante *Concionem Euangelia & Epistolas Do-* minicales *Graecas.*

2.) Pro *Catechesi Graeca*, quae in *Cl. Se-* cundae *Lectionum* numero inde a Gym- nasiu ortu habita fuit, cuiusque repe- titio diebus *Saturni* ante Cultum diuinum in *Templo* vsque ad *A. 1667.*, *Vigiliis Apo-* stolicis ante Cultum eundem ad *A. vsque*

B 2

1699

1699. obtinuit. A. 1699. *Dicta Classica Ebraeo-Germanica*, modò commemoratis Vigiliis & ipsis Diebus Apostolicis enodanda, visum est ordinare.

3.) Cum in *Secunda* perinde ac in *Prima* A. 1653. ex planari desuissent *Praecepta Grammaticae Latinae & Graecae*, *Grammaticae* tamen *Graecae repetitio* suscepta denuo est A. 1667., & hodienum die Saturni, ante Cultum diuinum in templo, ex antiquo illo more, obseruatur. Praeter *Grammaticam Latinam Profodia* peculiari Lectione fuit tradita, ex *Fabricio* quidem A. 1578., ex *Murmellio* A. 1579. & sequentibus annis haud paucis, Anno autem 1635. inter Lectiones comparere desierunt haec Latinae Profodiae Praecepta.

4.) *Epistolae Ciceronis* peculiari antehac Lectione & Expositione Literali in *Secunda* seorsim tractatae sunt, & vberiore analysi, iunctis Classibus: at ab A. 1667. vnã eandemque Epistolarum Ciceronis analysin audiunt *Primani & Secundani*.

5.) *Lectio Ouidii* in *Secunda* per omnes fere Gymnasii annos explicata est, & v. g. *Tristia* A. 1577. *Libri de Ponto* A. 1593, leguntur; sed ab A. 1623, quod supra iam demonstrauimus, iunctis interdum Classibus proposita fuit, interdum soli *Secundae*, donec tandem A. 1653. prorsus communis coepit esse.

6.) Nec de *Terentio*, communi Classium duarum superiorum Lectione vsque ad A. 1687.

1687, notandum amplius restat quicquam, nisi quod A. 1699, vt *Secundanis* priuatim traderetur, solenniore Iussu sit iniunctum.

7.) Quia diuersus utique litterarum est profectus in *Primanis* & *Secundanis*, Auditorum hinc rationem haberi in *Lectiōibus Communibus*, intelligi facile poterit, idemque illud ve lex *Compendii Theologici* methodo, qua aliae responsiones postulantiur à *Primanis Veteranis*, aliae a *Primanis Nouitiis* & *Secundanis Veteranis*, aliae a *Secundanis Nouitiis*, cognoscitur.

Reliquae *Lectiōes*, quae vel propositae olim sunt in *Classe* hac *Secunda*, vel etiamnum tractantur, quāsue speciatim duxi enumerandas, sunt sequentes:

#### XIX. THEOGNIS.

Etiamnum *Clasfis Secundae* *Lectiō* est *Theognis*, sed peruetus utique, quia ab A. 1636. constanter legitur vsurpata & retenta semper. Quanquam enim sub initium *Gymnasii* ipso A. 1577. praelectus jam fuit *Poeta* hic *Secundanis*, & ad *Pythagorae Carmina* additus legitur A. 1613., in eius tamen locum sumere nonnunquam placuit *Autores* alios, *Aurea Pythagorae Carmina* & *Phocylidem* A. 1580., *Hesiodum* A. 1582. *Capita pietatis* per *Camerarium* A. 1595. *Pythagorae Symbola* A. 1606. *Eiusdem Sententias* A. 1608. *Clauem Lubini*, qua de supra, A. 1634. & ab A. 1651. vsque ad A. 1653. *Pythagorae Carmina* aequae ac *Theognidem* explicata video fuisse, donec A. 1653. *Theognis habitus*

est idoneus, qui solus posthac & immutabili quasi ordine retineretur.

#### XX. VIRGILII ECLOGAE.

Lectio haec *Secundanorum* fuit ab A. 1577, vsque ad A. 1639, quo videlicet tempore iuxta cum *Primanis* *Aeneida* Virgilii audire coeperunt *Secundani*, iunctis per aliquot annos & in belli tempestate Classibus. Anno 1652, exposita iterum sunt Bucolica ex Virgilio, sed ab A. 1653. Lectionem Virgilianam *Primani* solum audiuerunt.

#### XXI. EXERCITIA STYLI LATINI & GRAECI *Profaiica*.

*Ordinaria* Exercitia, quae hebdomadibus singulis & diebus Mercurii quibuslibet exhibentur & proponuntur, in ipso Gymnasii exordio A. 1577. merito obtinuerunt locum, & *extraordinaria*, diebus Lunae, Martis, Jovis & Veneris data & correcta fuerunt ab A. 1653. ad Annum vsque 1699, quo ex tempore, quod die Lunae proponitur Exercitium, die Martis emendatur, dieque Veneris corrigitur, quod die Iovis propositum fuit. *Latina* sunt partim, partim *Graeca*, quia & *Graeca* Exercitia iam A. 1584. exhibita leguntur, & recepta A. 1601, cum A. 1593. in *Secunda* desissent deponi.

#### XXII. EXERCITIVM METRICVM.

Exercitium Versuum *Latinorum* ab A. 1577. in praesens vsque tempus vrgetur. *Graecum*, quo versus quosdam Graecos olim vertere consueverunt *Secundani*, ad Auditorum captum subinde adhuc instituitur.

LE.



# LECTIONES CLASSIS TERTIAE.

**I. DEFINITIONES THEOLOGICAE**  
*potiores*, quae ab A. 1662. ex Compendio Hutteriano supra commemorato recitantur, cum ante & ab A. 1653. eadem depromtae fuissent ex Zehneri Compendio Theologico.

**II. HORTVLVS BIBLICVS SEBERI GERMANICVS.**

Ex Hortulo hoc & eiusdem *Locis* singulis ab A. 1641. in Classe Tertia recitata sunt Dicta Scripturae, sed ab A. 1653, quo fructuosiore introducere placuit seriem *LECTIONUM*, Locum XIX. & sequentes omnes *Classis Tertia* sibi vindicat soli, & a *Quartanis* ac *Quintanis* Loci, qui antecedunt, ediscuntur.

**III. PSALMI GERMANICI.**

Hi in *Classe Tertia* ab A. 1583. & ordine plerumque hoc seruato, vt annum intra spatium viginti imprimerentur, obtinuerunt: contra ea ab A. 1653. Psalmos ab cxx. vsque ad finem ediscunt *Tertiani*, seclufis longioribus, & *Quartani* iterum ac *Inferiores* Psalmos sibi imprimunt priores & faciliores.

**IV. CATECHESIS GRAECA.**

Ex Catechesi Graeca Capita praecipua heic discuntur, veluti iam A. 1604, deprehendo in vsu fuisse, cum triennio ante sola Oratio

ca.  
75.  
IX.  
e.  
OS  
52.  
IO.  
ri.  
&  
us  
X.  
fi  
m.  
IO.  
A.  
OO.  
m.  
or.  
A.  
ae.  
ur,  
da  
77.  
ae.  
im  
O.  
E.

PK



Dominica cum Symbolo Apostolico Lectionis sustinuerunt vicem: speciatim in Symbolis tribus Oecumenicis Graecis, quae A. 1666. notata primum sunt, Grammatica praxis demonstratur.

#### V. EVANGELIA GRAECA.

Evangelia Latina inter Lectiones Tertiae Classis jam desierunt poni 1591, cum a constituto Gymnasio usque eò obtinuerunt. Graeca, quae iam A. 1577, Lectionis vice pariter adhibebantur, hodiernum leguntur, exponuntur & resoluuntur, debetque ex Decreto Visitationis nouissimae diebus Dominicis addi das Meininger Bibel-Buch.

#### VI. LECTIO GRAMMATICA.

1.) Ex Grammatica Hebraea Schickardi Tertiani Hebraicè legere discunt, & in primis paradigma  $\eta\pi\alpha$  legendo sibi reddunt familiare.

2.) Quod ad Graecam Grammaticam attinet. Compendium Dresserianum A. 1577, placuit & multis post annis; A. 1617. primarias Regulas ex Grammatica Graeca Golii ediscebant. & quae etiamnum tractatur, Reyheriana A. 1634. euolui coepit.

3.) Quod vero ad Latinam attinet, hodie & ab A. 1599. Reyheri Grammatica Latina Maior in Classe Tertia enodatur, quae ipsa surrogata est in locum Compendii Grammatici Zehneriani, adhibiti ab A. 1594. (Ita sane extat in Matricula A. 1594, nisi quadriennio post, Anno demum 1598, praefatio Zehneri & primae

mae adeo editioni sit scripta, ut proinde vel manuscriptorum Compendium aliquanto ante sive explicari, vel explanationem Compendii solemniorum & in Scholas Hennebergiae omnes introduci. Etam A. 1598. coepisse, credendum sit) Addita est Compendio Zehneri Eiusdem Epitome Linacri ab A. 1605. vsq; ad A. 1699. Ante Zehneri Synopsin hanc Philippeam ipsius Philippi Grammatica terebatur. Et A. 1691. cum Syntaxi Latina Reyheri Regulas Elegantiarum in Matricula iungi video. Neque dum in notanda Lectione Grammatica Latina occupati sumus, duo illa silentio sunt praetereunda: Alterum, peculiari Lectione, quae A. 1584. coepit, hodiernum praeterea Profodiae ex Grammatica tradi & explicari; Alterum, Regularum Grammaticarum, Profodiae in primis, usum demonstratum fuisse in sententis insignioribus, quem in finem Loci Communes sententiosorum Versuum a Io. Murmellio collecti iam inter Lectiones recensentur A. 1577., recepti iterum, cum eius loco per annum adhibita fuissent Disticha Catonis; & simul ac A. 1596. Zehnerus suas edidit sententias insigniores, lectionis impleuerunt vicem: libellus in primis sententiarum Zehneri tertius, fragrantissimos Poetarum flosculos ex Carminibus Epicis & Elegiacis exhibens, placuit semper, & Anno adhuc 1669. in recensione Lectionum Classis Tertiae extat: Profodia Latina ab init. cum praxi ex 3. parte sententiarum Zehneri.

## VII. EPISTOLAE CICERONIS,

Illae videlicet, quas libris tribus *Io. Sturm* in-  
edidit, sub ipsum Gymnasii ortum A. 1577,  
adhibitae sunt, & in hunc vsque diem adhi-  
bentur; & speciatim, Rectore B. Schadio, A.  
1666. inchoatus est L.I. absoluto tertio, tum  
A. 1670, porro A. 1677, nec non A. 1683, & A.  
denique 1691., vt hac ratione liber quartus  
a *Bitnero* collectus, omitteretur.

## VIII. EVTROPIVS &amp; CORN. NEPOS.

Quos haud iniuria vno hoc membro con-  
iungo. Vterque enim A. 1699. in Classẽ  
III. loco *Terentii*, in *privatam* Lectionem  
constituti, introducti fuerunt.

## IX. PRIMITIVA LINGVAE VTRIVSQUE.

Primitiua *Graeca* hodie & ab A. 1699. addi-  
scuntur ex *FridERICI Mulleri Medulla Graecae*  
*linguae sacrae*, Ienae edita; huc autem vsque  
& ab A. 1653. ex *Paforis Manuali* praecipua  
notari solebant a Praeceptore & ad ediscen-  
dum dictari in calamum; *Latina*, antehac  
itidem a Praeceptore collecta & dictata,  
speciatim A. 1653. ex *Coruini Fonte Latini-*  
*tatis*, nunc subministrat *Latinitatis liber me-*  
*morialis C. Cellarii*, ab A. pariter 1699.

## X. EXERCITIVM ARITHMETICVM &amp; MVSICVM.

*Illud* in Classe Tertia A. 1608. coepisse, ex  
*Marricula* intelligo, & adhibita esse praee-  
pra *Lossii Latina*; tum ex quo in supremis  
Classibus *Libellus Arithmeticus Reyheri*  
explicatus est & exemplis illustratus, idem  
idoneus visus est, qui in Tertia adhibere-  
tur,

tur, seruato pro Auditorum captu in Lectionibus discrimine. *Musicum Exercitium* A. 1610, prima notatur vice, *Virumque* autem *Exercitium* in Classe hac *Tertia* hodie- num vrgetur.

### XI. EXERCITIA STYLI LATINO-GRAECA profaica.

*Ordinarium Latinum* non poterat non iam sub Gymnasii Ortum esse in Lectionibus publicis, cui vero A. 1653, *Graecum Extraordinarium, Latino-Graecum Collegae IV. & aliud Extraordinarium Collegae V.* ex *Lectio- ne Terentiana*, coeperunt iungi. *Hodie tria per hebdomadam Exercitia Latino-Graeca elaborare Tertiani tenentur, duo a Collega III, corrigenda, unum a Dn. Collega IV.*

### XII. EXERCITIVM METRICVM.

Prima quidem susceptum vice cum *Tertianis* A. 1602, speciali hodie- num lectione exercetur. Audit istud A. 1602, *Exercitium transponendorum versuum*, A. 1638, *Exercitium versus transpositos restituendi*, A. 1653. *Exercitium versuum nonnihil immutandorum*, & A. 1655, *Exercitium versuum è rudi materia.*

### XIII. ERASMI Libellus de Ciuilitate Morum, TARENTIVS, HELVICI Colloquia, ÆSOPI Fabulae, & LVBINI Clauis, ante hac Lectionum numero adiungebantur.

*ERASMI* Libellus A. 1577, in Lectionum numero habetur, & ad A. vsque 1614, fuit adhiberi, suffecto tunc eius in locum *Terentio*.

TEREN

TERENTIUS in Erasmi locum receptus A. 1614. desinit inter Lectiones poni A. 1632, assumptis *Colloquijs Helueticis*, Denuo in Classem receptus fuit A. 1643, & explicatus usque ad A. 1699, quo in Tertia publice desinit proponi.

HELVICI *Colloquia*, in locum Terentii A. 1632. substituta, septennio post, Anno videlicet 1639, inter Lectiones non comparant.

AESOPi *Fabulae*, per Camerarium editae, locum ab Anno 1577. inter Lectiones Tertiae Classis tuitae, ob certas causas A. 1579. cedere iuebantur.

LVBINI *Clavis*, edita Schleusingae A. 1634. ab A. 1635. usque ad A. 1642. Lectio fuisse commemoratur.



Sc.

CLASSIS PRIMAE LECTIO

Sequitur  
ex eadem **MATRICULA**  
&

*Spicilegii vice*

**TYPVS LECTIÖNVM  
PVBLICARVM**

quae  
*in praesenti*  
in

*tribus Classibus superioribus*  
proponuntur & enodantur.

I. Compendium Theologiae naturalis  
II. Epistolae Ciceroe tractat coniugium  
III. Arithmetica coniugium cum secunda  
II. Epistolae Ciceroe tractat coniugium  
III. Arithmetica coniugium cum secunda

us A.  
1632,  
Claf.  
as vs-  
defiit  
rentii  
no vi.  
mpa-  
n edi-  
iones  
1579.  
e A.  
ectio  
w  
ex  
in  
E  
di  
im  
in  
III  
T  
A  
d  
Sc  
30

PK



## CLASSIS PRIMAE LECTIO

NES.

Die Lunae.

*Horis antemeridianis*

- I. Compendium Theologicum Huttero-Glaffianum coniunctim cum Secundanis tradit *Rektor.*
- II. Tabulas Logicas explicat *Rektor.*
- III. Epistolas Ciceronis ad Familiares coniunctim cum Secundanis enucleat *Con-Rektor.*

*Horis pomeridianis*

- I. Plutarchum explicat coniunctim *Coll. III.*
- II. Nouum T. Graecum coniunctim *Con-Rektor.*
- III. Geographiam Historico - Mathematicam & Astronomiam *Rektor.*

Die Martis.

*Horis antemeridianis*

- I. Compendium Theologicum tractat iterum & Augustanam Confessionem *Rektor.*
- II. Tabulas Logicas explicat & Exercitium instituit Disputatorium *Rektor.*
- III. Epistolas Ciceronis tractat coniunctim *Con-Rektor.*

*Horis pomeridianis.*

- I. Arithmetica coniunctim cum Secundanis exercet *Coll. III.*
- II. Nouum Testamentum Graecum coniunctim exponit *Con-Rektor.*

III.



IO. III. Bunonis Ideam Historiæ Vniuersalis Germanicam, additis Rudimentis Geographico - Chronologico - Genealogicis, *Rektor.*  
 Die Mercurii.  
*Horis antemeridianis tribus integris stylum in Lingva Latina, Græca & Hebraica exercet*  
*Rektor.*

## Die Jovis.

*Horis antemeridianis*

- I. Rhetoricam conjunctim docet *Rektor.*  
 II. Officia Ciceronis tractat *Con-Rektor.*  
 III. Ovidium conjunctim *Con-Rektor.*

*Horis pomeridianis*

- I. Musicam conjunctim cum Secundanis exercet *Cantor & Coll. V.*  
 II. Orationes Ciceronis conjunctim tractat *Con-Rektor.*  
 III. Hesiodum *Rektor.*

## Die Veneris.

*Horis antemeridianis*

- I. Horologium Ebraeum Schickardi exponit & Pfalterium Hebraicum resoluunt conjunctim *Rektor.*  
 II. Auditur Concio facta.  
 III. Residuum tempus officii Ciceronis impendit *Con-Rektor.*

*Horis pomeridianis*

- I. Ad preces in aedem sacram itur.  
 II. Orationes Ciceronis conjunctim explicat *Con-Rektor.*  
 III. Virgilium *Rektor.*

Die

## Die Saturni.

*Horis antemeridianis*

- I. } Stylum metricum Latino-Graeco-He-
- II. } braicum exercet *Rektor.*
- III. Theologiam profitetur coniunctim *Do-*  
*Ephorus.*

*Hora pomeridiana*

- III. E Philosophia Theoretico. Practica Me-  
taphysicam inprimis & Ethicam docet *Re-*  
*ktor.*

## Die Solis.

*Ante & post meridiem* Cultui Sacro praemittit  
Lectionem Euangeliorum & Epistola-  
rum Gr. Analytico-Practicam *Rektor.*

CLASSIS SECVNDAE LE-  
CTIONES.

## Die Lunae.

*Horis antemeridianis*

- I. Compendium Theologicum coniunctim  
cum Primanis tradit *Rektor.*
- II. Oratoriam docet *Con-Rektor.*
- III. Epistolas Ciceronis coniunctim cum Pri-  
manis explicat *Con-Rektor.*

*Horis pomeridianis*

- I. Plutarchum coniunctim cum Primanis ex-  
ponit *Coll. III.*
- II. Nouum Testamentum Graecum coniun-  
ctim *Con-Rektor.*
- III. Exercitium extraordinarium Latino-  
Graecum proponit *Con-Rektor.*

Die

## Die Martis.

*Horis antemeridianis*

- I. } Lectiones, quae die Lunae proponun-  
 II. } tur, locum iterum obtinent.  
 III. }

*Horis pomeridianis*

- I. Arithmetica coniunctim exercet *Coll. III.*  
 II. Nouum Testamentum coniunctim explicat *Con-Rector.*  
 III. Exercitium Latino-Gr. extraordinarium emendat *Con-Rector.*

## Die Mercurii

*Horis tribus integris antemeridianis* Exercitio Styli opera datur a *Con-Rectore.*

## Die Iouis.

*Horis antemeridianis*

- I. Rhetoricam coniunctim cum Primanis docet *Rector.*  
 II. Theognidem exponit *Coll. III.*  
 III. Ouidium coniunctim *Con-Rector.*

*Horis pomeridianis*

- I. Musicam coniunctim exercet *Cantor.*  
 II. Orationes Ciceronis coniunctim cum Primanis explicat *Con-Rector.*  
 III. Exercitium Latino-Gr. extraordinarium proponit *Con-Rector.*

## Die Veneris

*Horis antemeridianis*

- I. Horologium Ebraeum Schickardi exponit, & Psalmum Hebr. resoluit coniunctim *Rector.*

- II. Auditur Concio sacra.

C

III.

III. Residuum tempus Theognidi impendit  
*Coll. III.**Horis pomeridianis*

- I. Ad preces itur in aedem sacram,
- II. Orationes Ciceronis explicat *Con-Rector.*
- III. Exercitium Latino-Gr. extraordinarium corrigit *Con-Rector.*

Die Saturni.

*Horis antemeridianis*

- I. } Stylum metricum exercet *Con-Rector.*
- II. }
- III. Theologiam profitetur coniunctim *Dn. Ephorus.*

*Ante Sacra Vespertina*Grammaticam Graecam repetit *Con-Rector.*

Die Solis.

*Ante & post meridiem* Cultui sacro praemittit Lectionem Euangeliorum & Epistolarum Gr. Analytico-Practicam *Con-Rector.*

## CLASSIS TERTIAE LECTIONES,

Die Lunae.

*Horis antemeridianis*

- I. Definitiones Compendii Hutteriani potiores tractat *Colleg. IV.*
- II. Psalmos Germ. à cxx. vsque ad cl. & Grammaticam Latinam maiorem Reyheri reperoscit explicatque *Colleg. III.*
- III. Cornelium Nepotem *Colleg. III.*

*Horis pomeridianis.*

- I. Musicam exercet *Cantor & Colleg. V.*
- II. Syntaxin Latinam docet *Colleg. III.*

III.

III. Primitiua Linguae Lat. ex Cellarii Libello, *Colleg. IV.*

Die Martis.

*Horis antemeridianis*

I. Hortuli Biblici Seberi Dicta selectiora tractat *Colleg. IV.*

II. Psalm. Germ. & Grammaticam Latin. *Coll. III.*

III. Eutropii Breuiarium H. R. *Colleg. III.*

*Horis pomeridianis*

I. Ad preces itur in aedem sacram.

II. Syntaxin Latinam tractat *Coll. III.*

III. Exercitium styli extraordinarium Latino-Graecum proponit & emendat *Coll. IV.*

Die Mercurii.

*Horis antemeridianis*

I. ) Exercitium Ordinarium vtriusque sty-

II. ) li emendat & nouum proponit *Colleg.*

III. ) *III.*

Die Iouis.

*Horis antemeridianis*

I. Dicta Hortuli Biblici selectiora tradit *Coll. IV.*

II. Profodiam docet *Colleg. V.*

III. Grammaticam Graecam *Colleg. III.*

*Horis pomeridianis*

I. Arithmetices Rudimenta tractat *Colleg. III.*

II. Figuras ex Grammatica Latina, *Colleg. III.*

III. Epistolas Ciceronis minores exponit *Coll. V.*

Die Veneris.

*Horis antemeridianis*

I. Catechesin Graeco-Latino-Germanicam reposcit, additque Institutionem primam ex Grammatica Hebr. *Coll. IV.*

II. Auditur Concio sacra.

III. Residuum tempus Profodiae impendit  
*Coll. IV.**Horis pomeridianis*

- I. Arithmeticam exercet *Coll. III.*
- II. Exercitium Latino - Gr. extraordinarium proponit & emendat *Coll. III.*
- III. Epistolas Ciceronis minores explicat *Coll. V.*

## Die Saturni.

*Horis antemeridianis*

- I. Symbola Oecumenica ex Catechesi Graeca tractat & resolvit *Coll. III.*
- II. Grammaticam Graecam explicat *Coll. III.*
- III. Exercitium Metricum subjungit *Colleg. V.*

*Ante Vespertina Sacra*

Primitiua Graeca ex Mollero proponit & reposit *Coll. III.*

## Die Solis.

*Ante & post meridiem* Cultui sacro praemittit Evangeliorum Graecorum Analysin *Coll. III.*

\* \* \*

\* In Classe Prima, praeter publica styli utriusque soluti & ligati specimina hebdomadaria, quae singula singulorum Auditorum Rector vel publice vel domi per hebdomadam corrigit, Idem menstrua elaboranda tradit; Orationes nempe, Chrias, progymnasmata, Epistolas &c. atque haec corrigere iterum tenetur & condere.

\*\* Quolibet trimestri Aetus Declamatorii habentur; Institutos speciatim intra hos proximos quinque annos, ut & Disputationes publicas & per Typographum exscriptas Domini Epdori, Rectoris & Dn. Con. Rectoris, supra significatum programma in Fortunam III. Gymnasii Schleus-

fin-

fingensis quinquennalem, Deo adiuuante, propediem edendum exhibebit enarratiùs.

\*\*\* *Diebus Canicularibus, & antemeridianis horis duarum hebdomadam, publicis Lectionibus destinatarum, SERENISSIMORVM NVTRITORVM Indultu, A. 1705. humillime exorato, Classibus binis superioribus, iunctis nimirum, explicantur & illustrantur Regulae Elegantiarum Reyberi a Rectore, Con-Rectore & Collega III., at in Tertia Classe, quae tum iunctas habet quartam & quintam, pensa Grammaticae conficienda subministrat Tabula Oeconomicae Catecheseos Latinae.*

\*\*\*\* *Lectiones tandem priuatae, quibus praeterea Iuuentus Schleusingae eruditur, Latinitatem firmant. Historiam, Poesin & caeteram Institutionem ad Academiarum Doctores rite audiendos summe necessariam; illarum vero opportunitates nunc non enumerò, quia per-  
texere solum placuit* LECTIIONVM

PVBLICARVM HISTO-  
RIAM,

S. D. G.

LXIII.





an  
pa  
ho  
de  
TO  
to  
to  
wa  
va  
pa  
co  
C  
te  
te  
fi  
a  
op

PK



U 5857 8A

11 C



Pou Yd 5854, Qk

ULB Halle


002 705 397

3



LD 78





Farbkarte #13

B.I.G.

*h. 117,41*

Yd  
5854

I. N. J.  
**HISTORIA  
LECTIONVM**

ILL. GYMNASII  
SCHLEVSINGENSIS,  
h. e.

*Recensio Lctionum Publicarum,*  
quae ab ortu Gymnasii, Anno  
nempe M D LXXVII. vsque ad hoc  
tempus,

in *Classibus* inprimis *tribus superioribus*, re-  
ceptae fuerunt & propositae,  
ex **MATRICVLA** Gymnasii  
sic instituta,

*ut, quo speciatim anno tractari coeperint singulae,*  
*desierinque nonnullae, & quae etiamnum locum*  
*obtineant,*  
possit perspicui,  
& *ceteris de causis* in apertum prolata

**M. GODOFREDO LVDOVICI**  
RECTORE.  
A. M DCCVI.

*Schleusinae,*  
exscriptit G. W. Goebel, Ill. Gymnasii Typo-  
graphus,

